



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Antiquae Lectionis Tomus ...**

In Qvo Plvra Qvam XX. Antiqua monumenta, nunquam edita

**Canisius, Heinrich**

**Ingolstadii, 1602**

II. De Svavitate Et Svavi odore sepulchri eius.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64160](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64160)

eur ad virtutes & signa quibus mirificauit Dominus sanctum suum, etiam postquam de hac vita transiuit, hodieque mirificat, transeamus à fine libri prioris, sequentis initium facientes, de ipsius tractaturi miraculis in libro secundo, de cuius in primo vita & transitu. In principio erat verbum. Igitur cum iam Domino complaceret, vt tristitia nostra verteretur in gaudium, vt scientes eum cælo viuere lætaremur, quem defunctum sæculo lugebamus, manifestauit se iterum Iesus ipsum Angelorum fecisse consortium quem ablatum humano dolebamus esse consortio. Manifestauit autem sic.

DE SVAVITATE ET SVAVI  
odore sepulchri eius.

II.

**H**ONESTA quædam mater familias CHRISTINA vocabulo, cum matre sua BERTHA nomine Deo valde deuota, de ciuitate RATISPONA PRUFENINGEN Fratrem suum visitatura accessit. Cumque die iam inclinato vehiculo domum reuerti pararent, mater quasi valesactura Sanctis, præ foribus monasterij, quia clausum erat, orare cœpit attentius, & subito miri odoris perfusa est suauitate, quem cum tacite miraretur, Ecclesiam aperiri percipit & obtinuit & intrauit, sensitque fragrantiam illam de sancti viri spirare sepulchro. Diuinæ igitur gratiæ non ingrata, regratians, votum vouit Deo Iacob, quod famuli sui sepulchrum ERMINOLDI, de cuius meritis certiorari meruerat, per circulum anni totius, nudis pedibus visitaret. Quod & impleuit, nunquam hæc vel pro viæ profunditate vel madoribus pluuiarum niuiumue rigoribus intermittens. Et hæc vidua erat & turba ciuitatis multa cum illa, ipsius exemplo, quoniam erat ex honestioribus ciuitatis, cœpit viri Dei memoriam frequen-



frequentare & illius auxilium in quibuscunq; necessitati-  
bus efficaciter experiri. Hoc initium signorum fecit Iesus,  
coram discipulis serui sui fidelibus, & manifestauit gloriam  
suam & dignitatem quam iam accepit in cœlis, qui terre-  
næ dignitatis gloriam non quæsiuit. Et congruè satis à  
suauis odore incipere debuit sua glorificatio, qui se ipsum  
Deo in odorem obtulit suauitatis, vt apte fracto alabastro  
sui sanctissimi corporis, meritorum ipsius & famæ dulcis  
estunderetur unguentum, ex cuius odore domus Eccle-  
siæ redundantius impleretur. Illud autem inter signa  
quam plurima, Dominus sancto suo quasi priuilegium  
speciale concessit, quod pueri ægrotantes, ad eius, vt fieri  
solet ponderati sepulchrum, vel continuò eius meritis  
cõualescunt, aut ab ægritudinis diuturnitate mortis com-  
pendio protinus absoluuntur.

*DE ARCHIEPISCOPO MO-  
guntino, qui voti sui compos effe-  
ctus est.*

**H**OC etiam cum pię memorię dominus CHVN-  
RADVS MOGUNTINVS Archiepiscopus famæ  
pregonio comperisset, cum diutina laboraret  
infirmate, quam ex aere inconsueto in terra sancta con-  
traxerat, nec quicquam sibi conferret experientia medi-  
corum, ad sepulchrum viri cum marca argenti se ponde-  
rans, cum clamore valido & lachrymis, exauditus est pro  
sua forma petitionis. Postulauerat etenim vt à diuturni-  
tate languoris vel cita euasione, vel beneficio saltem mor-  
tis absolueretur. Qui mox antequam sedem suam attin-  
geret, morte intercedente obtinuit, quod petiuit beati me-  
ritis *ERMINOLDI*.

III.

Yyy

DE